



**Antoninus Diana Panormitanus, Clericus Regularis, Doctor
Celeberrimus, Coram S. D. N. Alexandro VII. Episcoporum
Examinator, & Sancti Officij Regni Siciliae Consultor,
Coordinatus, Seu Omnes ...**

Diana, Antonino

Lugduni, M. DC. LXXX.

158. Difficilis pro praxi in gratiam Confessariorum est ista quæstio. An qui longo tempore rem alienam non restituens unum tantum, vel plura peccat committat? Et docetur, quod in duobus tantum ...

[urn:nbn:de:hbz:466:1-76393](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-76393)

RESOL. CLVIII.

Difficilis pro praxi in gratiam Confessoriorum est ista
 questio. An qui longo tempore rem alienam non re-
 stituit unum tantum, vel plura peccata committat?
 Et docetur, quod in duobus tantum casibus positus in §.
 penultimo huius Resolut. committit quis peccatum
 novum in omissione restitutionis.
 In ceteris vero sex casibus assignatis in §. Sed huius
 Resolutio, & in omnibus aliis, quos diversi au-
 thores enumerant, mittitur. Ex part. 2. tract. 16. &
 Misc. 2. Ref. 25. aliis 27.

§. 1. **R**espondeo ex Lessio lib. 2. c. 22. lib. 3. n. 11.
 & seq. Molina de iust. tract. 2. disp. 75. n. 5.
 Rebello de oblig. iust. p. 1. lib. 2. q. 17. sect. 2. Valquez
 in p. 2. tom. 1. disp. 75. c. 2. Turrianus in 2. 2. tom. 2. di-
 sp. 17. dub. 1. n. 3. 4. & 5. & aliis iniquum detento-
 rem rei alienae non esse, vt voluit Caiet. 2. 2. quest. 66.
 art. 3. in solo peccato habituali, sed continuo actu
 peccare, dum non restituit, suumque peccatum extrin-
 sece augere, donec voluntarie restitutionem omittat.
 Ratio est, quia non restituit rem ablatam, laedit
 semper Dominum rei. Ita enim non potest possidere,
 nec vi re sua, sed ista laesio assidue procedit à libera
 voluntate non restituendi, vel ab omissione libera
 voluntatis. Ergo est peccatum actuale, eo scilicet mo-
 do, quo in omissione operis externi, qua alius laedi-
 tur, est peccatum actuale.
 2. Sed ex ista doctrina non haberent Confessarij
 multos scrupulos, si dicta omisso restitutionis, qua
 constituit furem, vt dictum est, in continuo actu
 peccato non interromperetur: nam distinctuata,
 multiplicatur postea multa peccata numero distin-
 cta. Multipliciter verò interruptur, ita vt formaliter
 non continuatur. Primo, quando quis, qui restitueret
 teneretur, factus est impotens ad restituendum. Secun-
 do, quando proponit restituere. Tertio, per somnum.
 Quarto, per inconsiderantiam naturalem, & obliuio-
 nem obligationis restituendi. Ita Valquez *vbi supra*,
 & Turrianus. Quinto, quando creditor exigit ab eo
 debitum, & non reddit. Sexto, quando videt credito-
 rem egere, & non soluit. Ita Socus de iust. lib. 4. q. 7.
 art. 4. & similia habet Navar. c. 17. n. 54.

3. Ex supradictis modis apparet, quam sapiens fur
 non restituit, multiplicare peccata, necessarium in con-
 fessione aperienda, ita vt parum adiuvet pro facilita-
 te confitendi communis opinio, quae asserit, vt dixi-
 mus, omissionem restitutionis constituit furem in
 peccato actuale: nam dicta omisso interruptur
 saepius per supradictos modos, qui multiplicat pecca-
 ta numero distincta. Sed his non obstantibus quia
 supradicta opinio (propter pluralitatem & numerum
 peccatorum, quae tempore, quo non restituitur, in-
 curruntur) multum Confessariis, & penitentibus
 onerosa, ponam hic opinionem probabilem, & tu-
 tam in praxi. Dico igitur.

4. In duobus tantum casibus, committit quis pec-
 catum novum in omissione restitutionis. Primo, quo-
 ties directe, & expresse renouatur propositum reti-
 nendi rem alienam, per specialem actum. Et ad hoc
 non sufficit qualecumque propositum renouatum,
 sed requiritur, quod ita proponat quis rem alienam
 retinere, quod etiam si nunquam id decreuisset, mo-
 do decerneret. Nam si propositum est simplex, & si-
 ne ista reflexione, potius dicitur continuatio proprij
 propositi, quam nouus actus. Quia licet sit nouus,
 & distinctus physice, non tamen moraliter, quod
 pertinet ad nostrum institutum. Secundus modus est,
 quando quis proposuit restituere, & postea data op-

portunitate non restituit. Tunc enim, saltem indire-
 cte, est noua voluntas, & per consequens nouum pec-
 catum. Ita Petr. Aragon. in 2. 2. q. 62. art. 8. & post il-
 lum Emanuel Rodriguez in sum. tom. 2. cap. 46. num. 1.
 & Malder. in 2. 2. tract. 4. cap. 11. dub. 7. vbi aduersus
 Valquez, & alios putat, quod si solum per naturalem
 quietem, vel inaduerentiam fuerit interruptus animus,
 actualis retentionis rei alienae, hoc non sufficere,
 vt fur post modum renouans eiusmodi animum, cen-
 seatur admittere distinctum numero peccatum. Vt
 enim actualiter censetur quis suo posse re nomi-
 ne, sufficit quod si animo tenendi rem apprehen-
 derit, eumque animum non retractarit. Deinde non
 est necessesse, vt is qui idem & mortaliter vnum pecca-
 tum censetur continuasse, continuo peccauerit actu:
 actus enim solum physice interruptus, potest mora-
 liter censi vnus. Sic Malderus & Sayrus in Clauis
 Regia, lib. 10. tr. 5. c. 5. n. 10. vbi asserit, quod nimis du-
 rum esset affirmare toties de nouo peccare, quoties
 fur post iniquam primam acceptionem dormitioni se-
 traderet, aut illius obliuisceretur, cum multoties in
 die contingeret hoc modo peccare de nouo, omnia-
 que scrupulis plena essent. Ita ille.

5. Dicendum est igitur ex dictis, tunc iniquum
 detentorem peccare de nouo mortaliter, quando re-
 nouat de nouo propositum non restituendi, vt si ani-
 mo dicat, etiam si retinere non proposuisset, nunc
 omnino propono. Vel secundò, quando interrup-
 pit prius animum furtiuum firmo restituendi propo-
 sito, & postea data opportunitate non restituit. In om-
 nibus aliis autem casibus, quos diversi authores enu-
 merant, & refert Barthol. à S. Fausto in spec. Confess.
 dist. 4. q. 203. puto cum Maldero, Aragon & Sayro,
 vbi supra non esse nouum peccatum, sed circumstan-
 tiam aggravantem illud, & iuxta nostram sententiam
 non necessariò in confessione aperiendam, sed aliam
 benigniorem sententiam circa praesentem questio-
 nem vide in tract. de Circumstantiis aggravantibus. Et
 hac dicta sufficiant circa praesentem questionem, ex
 qua maxime & praecipue notandum est pro sedandis
 scrupulis, per somnum & naturalem inaduerentiam,
 iniquum rei alienae detentorem, non multiplicare
 peccata, numero distincta. Salua, &c.

RESOL. CLIX.

An si quis in Ecclesiam confugiat, & intra illam
 postea ei index auferat arma, debeat index hanc cir-
 cumstantiam in confessione aperire? Ex part. 1. tra-
 ctat. 7. Ref. 38.

§. 1. **R**espondet negativè Couarruu. *variar. Ref.*
 lib. 2. c. 20. n. 17. & post illum nouissimè
 Fagúdez *Prac. 2. lib. 4. c. 4. n. 55.* vbi asserit: [Quamuis
 Iudex laicus non possit absque sacrilegio, & circum-
 stantia necessariò confitenda, fruente hoc privilegio,
 è loco sacro inuitos abstrahere, potest tamen ab eis
 absque praedicto sacrilegio, & circumstantia, intra
 Ecclesiam arma auferre. Ita ille. Sed de hac questio-
 ne egimus in tract. de imm. Ecclesia.]

RESOL. CLX.

An si index, vel alia persona publica furto capiat res
 alienas, quas ex officio custodire tenetur, debeat in
 confessione explicare hanc circumstantiam Officij
 sui? Ex part. 1. tr. 7. Ref. 36.

§. 1. **A**ffirmatiuè respondent vterque Medina
 Complutensis, & Salmaticensis, hic in
summa, ille in C. de confess.